

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Justa justissima, Quae in luctuosissimo funere ipsaque
Solennium Exequiarum Luce, quae incidebat in pridie
nonas sextileis, Serenissimi Principis ac Domini, Domini
Caroli, Marchionis Badensis et ...**

Malsch, Johann Caspar

[S.l.], [1738]

[urn:nbn:de:bsz:31-9874](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-9874)



Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten numbers and a sum:

$$\begin{array}{r} 1 \\ 10 \\ 100 \\ + 1 \\ 1 \\ 1 \\ 1 \\ 1 \\ 1 \\ 10 \\ 101 \\ 5 \\ 100 \\ \hline 1298 \\ Kn \end{array}$$

112

JUSTA JUSTISSIMA,
Quæ in
LUCTUOSISSIMO FUNERE
ipsaque Solennium Exequiarum Luce,
quæ incidebat
IN PRIDIE NONAS SEXTILEIS,
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DOMINI
CAROLI,
MARCHIONIS BADENSIS ET
HOCHBERGENSIS, LANDGRAVII IN SAUSEN-
BERG, COMITIS IN SPONHEIM ET EBERSTEIN, DYNA-
STÆ IN ROETELN, BADENWEILER, LAHR ET MAHLBERG, ETC.
S. CÆS. ET CATH. MAJESTATIS ET CIRCULI SUEVICI GENERALIS
CAMPI MARESCHALLI, ET CHILIADIS DIMACHA-
RUM GHILIARCHÆ, ETC.

Domini & Conditoris sui, dum viveret, indulgentissimi,
nunc gloriosæ memoriæ; inter lacrymas

PRINCIPALIS FAMILIÆ;

Et gemitus
UNIVERSÆ PATRIÆ,

luctumque
OMNIUM BONORUM CIVIUM;

Piissima mente, Affectu dolentissimo, sensibus attonitis,
pone sequente admiratione Virtutum heroicarum,
cultuque religioso, solvebat, in ordine

lugentium
POSTREMO LOCO;

at pietate, at dolore,
at grata recordatione

Bene meritorum Herilium
NULLI SEQUUNDO,

Illustre Caroli Hesycheum:

Anno, quo

vis sexto Maji præsentè hyperlone tristè
deseruit Xystos, HesyChlæ qve foCos
CAROLUS, in bello metuendus; pace salubris;
Conditor Hesychiæ; Gymnasique Parens.

(1738)

*Brodyth J. Landgravius
- conditor Hesychiæ.*

LISTA JUSTISSIMA
LUCTUOSISSIMO FUNERE
IN FRIDIE NONAS SEXTILES
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
EPIGRAMMA.

Indue lugubres habitus, vultumque dolentis,
Marchia, jactatas dilaniaque comas!
Tu que etiam, sedes Patriæ dignata vocari,
Hesychie, tristes præfer, Honora, notas!
Occidit! o pietas! o casibus æmula summis
Damna, quibus possint illacrimare feræ!
Occidit, ut rigido Tulipe violata sub Euro!
Ut rosa, quam sævo fauciat ungue puer!
Occidit! heu justos prohibet dolor edere questus!
Occidit! heu solo lingua retenta metu est!
Musa tace! melius patrii vox vatis, & urbis
Dixerit Hesychiæ moesta, Quis Occiderit?

042862, 5, 5 RH

7



Ndigetis CAROLI Manes, Parsque aurea Divi,
 Quicquid & aetherei Pietas transcripsit olympi
 Sedibus, & terris fatalique abstulit Urnae!
 Quicquid id est, niveæ quod sacra cubilia Lunæ,
 Auroræque thorum pernicipibus exiit alis!
 Huc ades, o felix, & adhuc non inscia nostri,
Hesychieve, Tuo dignatæ nomine dici,
 Cœlitis Umbra pii! Seu Te, jam tabe solutum
 Corporis, astrorum retinet chorus, aurea cœli
 Sidera mirantem, quæ mente superstes adibas;
 Quo Tua vota ibant: sive, intimus ætheris hospes,
 Ante Deum, mediis in millibus, abdita lustras
 Sacra poli, fruerisque Deo, nec adire parentem
 Cœlicolum dubitas, alis elatus Amoris
 Et Fidei puræ! Nostri monimenta doloris
 Aspice, si qua vacas, cœli à penetralibus altis,
 Quo Tua Te Pietas, quo Te tulit enthea Virtus,
 Et generosa fides. Siquid de funere restat
 Egelido, quod non diuturni tabida morbi
 Savities potuit, veniensve abolere Senectus.
 Ecce Tibi tristem fusi lugemus ad urnam,
 Exuviasque Tuas, & mœsta voce ciemus
 Ad tumulum manes, tumuloque novissima dona,
 Inferiasque damus.

Commota e sedibus ipsis

Prima sacrum sequitur pullo in velamine Funus
Marchia; quæ, positis haud dudum tristibus armis,
 Sustulerat pavidos alto de pulvere vultus,
 Atque suæ metuens præfagia mentis, *An*, inquit,
Ira poli nostra nondum satiata ruina est?
Scilicet hoc, inquit; Nostris hoc defuit unum
Cladibus, ut, post tot belli aspera, pace sub ipsa,
Eriperere mihi, radiantibus additus astris,
Cœlituumque choro!

Subit hic, & verba loquentis

Interfatur inops animi, lacerata capillis,
Hesychie CAROLI, veluti viduata Parente

Nata suo: Quid? ait; Non uni flebilis ille
Corruit, & moriens communia damna minatur:
Flebilior sed enim nulli meus ille cadebat,
Quam mihi, quæ vitam, quæ debeo sola salutem
Promeritis illius, & hæc, quæ fecerat olim,
Otia, longinquis jam jam clarissima terris.
Heu ubi sum? quæ sum? Quantum mutata repente est
Hesychie facies? Vix agnoscenda, vel hosti
Commiseranda meo sum! Nunc pulmone remissus
It cruor ipse foras; nunc alte vulnus adactum;
Perque Tuam, quæ Te rapuit mihi, CAROLE, mortem
Ipsa quoque ante diem, primæ sub flore juventa,
In portam rigidos videor protendere calces.
Una duos ergo (quod abominor!) auferat hora?
Una duos mergat? tumuloque tegantur eodem
Nata Parensque simul? fato alter, & altera luctu?
Hæc ita fata solo lacrimans super ora gemensque
Procubuit pavefacta, diuque immobilis hæsit,
Et via præ sævo voci præclusa dolore est.

Eminet hos inter gemitu tamen: eminet, inquam,
WILHELMINA, Tuus, mater pia, MAGDALI, luctus.
Tu mitem Dominum, Tu (sors o dura!) Maritum,
Insolabiliter, necopina morte peremtum,
Sola doles, raptò veluti sibi compare turtur.
Ecquis io! est igitur, qui legem dicere flendi
Sustineat, lacrimisque Tuis præscribere finem?
Et, quo forte modo, qui nunc Tibi sævit in ægro
Pectore, Te deceat frenos laxare dolori,
Vifa viro felix! CAROLI modo Nupta! sed, hei hoi!
Jam viduata thoro! jam tæda orbata jugali!
Non ita percussa es mediocri fulminis ictu,
Ut possis justo metiri examine luctum.
Occidit exemplum memorabile Principis, in quo,
Quid possit Virtus, vel quid sapientia, quid ve
Comis in ore Lepos, fecit natura periculum.
Clarus in armisonæ comitatu Palladis, atque
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.
Quod graviusque doles, ita concidit ille repente,
Ut Tibi sit minime coram data copia fandi;
Non Tibi suprema morientem luce videre
Contigit, ac notas audire & reddere voces,
Non Tua pectoribus morituri affigere sensit

Pectora,

Pectora, non vultus morientis in ore locatos.
 Ultima non dederas media jam morte natanti
 Oscula, nec gremio fovisti membra jugali.
 Absenti Tibi raptus is est; nil tale timenti
 Cœlo animam, terræ corpus permisit & Urnæ,
 O Mater patriæ! jam post CAROLUM altera nobis
 Spes, desideriumque, & publica cura Piorum!
 Ac super his tanti successit proxima luctus
 Causa Tui; GEMINI primo sub flore NEPOTES,
 Effigies Charitum, patrii duo sidera cœli,
 Marchiacæ que simul retinacula bina carinæ.
 Jam pridem his *Genitor* suus est ereptus, & inter
 Semi deos medius, mundo in meliore, triumphat;
 Illustris radiis, & sacra luce coruscus.
 Solus Avus super unus erat; qui nunc quoque nullus
 Apparet, Divum cœlestibus insitus arvis.
 Ipsi adeo facti rursus (miserabile dictu!)
 Pupilli, tenero cum prima *Puertia* flore
 Iret adhuc, teneris nondum satis utilis annis,
 Indigaque auxilii. Viden' ut manantia fletu
 Ora notare dolor luctus que videtur amarus?
 Ut gemitus quatiant puerorum corda fideles?
 Ex oculis que fluens subsuave tuentibus una
 Irriget imber humum, pluvix stillantis ad instar?
 Parce tamen nimis ploratibus indulgere,
 O pia Progenies! Patriæ O! spes ultima nostræ!
 O subolescentes in Avorum augusta Gemelli
 Facta, quibus salvis placati gratia cœli
 Nos fovet, & contra fortunæ tela minacis
 Stat bene nixa salus, & commoda publica florent.
 Tu quoque, quæ, tenebris luctuque oppressa profundo,
 Nunc agis, & mitem densa caligine vultum,
 Magdali, subducis, tacito seclusa cubili:
 Siste Tuos gemitus, & quæ Tibi fluminis instar
 Semper eunt, faciemque secant, oculos que perurunt,
 Jam tandem lacrimas inhibe super ora cadentes.
 Hoc postulat pietas erga cineres que sepulti,
 Atque animam, aligeros proceres cœli inter agentem;
 Quæ sese luctu, quæ planctu nolit amaro,
 Quæ lacrimis sua fata queri indignetur amaris.
 Imperat hoc itidem Geminorum cura Nepotum,
 Sancta Parens Patriæ, quibus ipsa agnosceris, & qui

B

In

In patrias laudes, & Avorum illustra facta
Auspiciis que Tuis fingendi, & pollice dextro.

Respice, quæ præstet Tibi, quantaque *Carolus* ultro
Augustus Vidua solatia, quamque laboret
Præcipua pietate Tibi placuisse fideque.

Qui, quanquam Patruï doleat nece, non minus, ac si
Filius ex ipso genitus fraterve fuisset:

Nititur hoc uno solamine, seque calenti
Erigit in luctu, quod nomen amabile matris
In bonitate Tua reddi sibi denuo sentit.

Atque adeo, quamvis lætam nubecula frontem
Asperet, & Patruï, tanquam, necopina, Parentis
Fata gemas, animo moerens, *Auguste*, dolenti:

Magdaliden veluti redivivam amplectere Matrem,
Atque fatigatis ævo tardante lacertis

Illius Augustos que toros & vivida pleno
Robore colla suo Patriam suppone regenti,

Ac titulis asuesce novis, Patriæque Parentes
Occipite à nobis & vulgi voce vocari,

O placidi Soles! o nostræ fulcra salutis
Publica! qui nobis Cynosura secantibus æquor

Estis, & in tenebris cæcæ Pharus ardua noctis!
Luctibus accedit, fulgentia sidera, vestris,

Et mœrore dolet parili venerabilis aula;
Aula, suo splendore notabilis, & neque luxu

Immodico, parca neque paupertate videnda.
Hæc stupet obtutu tacito; vox faucibus hæret;

Hæc profecturis nihil æthera questibus implet,
Questibus implet, & assiduas jactat ore querelas.

Omnibus in vultu est mœror manifestus, & ingens
Imo corde dolor penitus pervasit in artus;

Omnibus hirsuti pendent super ora capilli;
Vestibus in nigris omnes.

Stupere silentes

Consilii casu tanto interioris amici,

Haud aliter, quam si medio cecidisset ab orbe
Sol, oculus mundi, cœli decus, ignea lampas;

Et gemitus lacrimasque pias tribuere beatis
Manibus, indicium sacri memorabile cultus.

Hoc opus, hæc edit pietatis signa perennis
Curia Justitiæ, nudataque Principe tali

Involvitur niveos tristi velamine vultus,

Justi-

Justitium que foro indicit, patribusque vocatis.

Eusebia sanctus muto tacet ore *Senatus*,
Diffimilisque sui est, nec sese agnoscit eundem;
Genua labant mœrore gravi; æger anhelitus artus
Concutit, & tristi trepidant formidine membra.

Et quibus ante fuit *Fisci pia cura tuendi*,
Suppetat ut summæ rerum sua copia, neve
Pars labet imperii, solito defecta vigore:
His quoque sunt simili prorsum exsternata pavore
Pectora, nec motus animorum & sæva suorum
Vulnera voce premunt.

Et ab his in singula porro
Luctus edax *Scamni* pervadit membra *minoris*;
Omnia luctus habet; luctum testatur amictus
Ater, & ex ipso velamine præbita fisco.

Mœror it in populum, Caroloque queruntur adempto
Femina Virque; Tuo pueri quoque funere lugent,
Inque domo lacrimas quivis habet angulus udas,
O Carole! o nostræ felix *Palinure* carinæ!

Ipsi etiam montes que feri, campique jacentes,
Et rupes scopulosæ, adituque carentia saxa,
Insolito strepitu lugentia signa dedere.

Et, quæ de specula circumspicit omnia late,
Turris, & innumeris decorati floribus *Horti*,
Et platani, citrique, & coniferæ cyparissi,
Aureolæque dolent frondosa cacumina mali.
Tabescunt plantæ peregrino ex orbe petitæ,
Cereus, & molli *Babylonia* fronde *Cyperus*,
Et melilotos, & *Idæus* rubus, *Alcea*, *rusci*,
Et *rhamnus*, folioque rigens *Paliurus* acuto,
Gelseminique frutex, & *olivæ*, & *Punica* malus;
Multaque præterea arbuistorum millia, versu
Dicere quæ prohibent peregrina vocabula nostro,
Voce gemunt tacita, prima que in fronte requirunt
Amissum dominum, plantatoremque peritum.
Quid loquar omne genus *florum*, quos *Vesper* & ortus
Miserat huc, *Horti* tanquam decora alta superbi,
Aut *Aquilone* truci vel cura petivit ab *Austro*.
Innumeri numero; quot fluctibus æquora surgunt,
Quot gignit frondes *Erymanthus* *Athosque* virentes;
Aut quot in *Alpe* feræ; quot arenæ corpora *Ponti*
Litus habet. Perit, tanquam icæa procacibus *Austris*,

Gloriaque culti lumenque nitorque vireti.
Aret ager late septi memorabilis; arent
Areolæ non tam Phoebi exurentis ab æstu,
Quam desiderio Caroli, rigua arva colentis.
Demisere caput, gelido velut imbri gravante,
Colchica, quæ quandam Regina potentibus herbis
In florem mutata fuit; Cyclaminus ab oris
Missus Achæiacis, flammisque imitata Chamiris,
Atque Iris, flores variata coloribus illis,
Quos pluvia accipiunt adverso nubila sole,
Et, qui flaventi nuper pallebat in auro,
Narcissus, Juvenis Saturno rege, priusquam
Juppiter ausus erat thalamum incestare sororis;
Quem suus in florem, proprio qui pallet ab igne,
Fecit amor. Non, si linguas centum, oraque centum,
Et vocem ferro potiolem Musa teneret:
Omne genus florum, variasque exponere formas,
Cuncta sigillatim percurrere nomina posset.
Hac tamen in turba non te, speciosa, silebo
Tulipa, quæ foliis diversicoloribus effers
Ante alias omnes celsum caput, atque decorem;
Et primos formæ geris excellentis honores.
Hæc, si vera fides si quid modo creditur illis,
Quæ prisca retulere Patres, quæ sola vetustas
Prodidit: hæc, inquam, *Criticus fuit atque Poëta*.
Historias veteres norat pariterque recentes;
Scriptores, quos & Latium servavit & Hellas,
Assiduis studiis, & gnava mente terebat,
Et loca subtilem rigide explorabat ad unguem.
Oris erat vates nequaquam inamabilis idem,
Factus ab ingenio naturæ atque arte Poëta.
Nam sive acer epos peteres, atque Arma Virumque
Insonuisse tuba graviter clangente juberet;
Sive per undenos numeros incedere velles;
Aut Venusini tentare valentia plectri
Stamina: luce minus tota libræ volumina
Illico lassabat dextramque oculosque legentis;
Aula Remi culti tereti quod in aure probaret.
Ingruit Invidiæ rabies, cœpitque sinistro
Sollicitare virum rumore, & spargere virus,
Et lacerare probris famam, nil tale merentis:
Usque adeo, donec placidi clementia cœli

Gloria

B 1

Ver-

Vertit in hunc florem. Sinceri pectoris hæret
In foliis candor: Mentis lepor atque venustas,
Et species animi suavis totidem ipsa colores
Induit: ast thyrsus corpus tenue atque pusillum
Fit gracilis, superas qui sese tollit ad auras,
Et calicem cælo versum protrudit, ut inde
Captet, ut ante, suos sitiens varietque decores,
Solutus abesse videtur odor. Nam læserat illum
Sustuleratque nocens sceleratæ insania linguæ.
Usque adeo livor tantum imminet alta professis,
Ardua que & vulgo non explorata profano:
Præterit indecores, magnæ & nihil artis habentes!
Tristia cunctorum lugent hæc agmina florum,
Quasque comas ventis agitari forte protervis
Creditis, has diri fecit trepidare doloris
Horrida vis, angorque ima in radice residens.

Fallor? an hic etiam circum feralia tumbæ
Claustra Tuæ mœrent, Carole o placidissime, tristi
Vineta Themis peplo? Rectum? Pietasque? Fidesque?
Sancta que Relligio? nupto Clementia vultu?
Et vigiles Curæ (sed quas nunc condidit atra
Squalida nox umbra) Patriæ pro civibus almæ?
Pro Patriæque focus?

Procul en! de vertice Pindi
Huc venit, immixtis hirsuta per ora capillis,
Phoebus, & ab tergo turba comitante fororum,
Heu! mihi, clamat; ubi es? qua te regione requiram?
Præsidium nostri, CAROLE, ordinis ante, locique?
Occulitque caput. Parnassides uvida Musæ
Serta gerunt lacrimis ipsæ, floresque canistris
Expediunt, monimenta tuo portanda pheretro.
Egregiæque Artes, avido quæ corde bibebas,
Quæque Tibi late nomen peperere perenne;
Signa ferunt sævi prorsum manifesta doloris.
Quæque Tuo imprimis residebat in ore labrisque,
Melle magis suavis, toto Facundia vultu
Pallida, tunsa sinus, & comtos scissa capillos,
Ingenti luctu stupefacta, obmutuit amens.

Nos quoque, qui teneram studiis formare juventam
Soliciti sumus, & præcepta salubria vitæ,
Ac documenta damus, quæ servet adultior ætas,
Ordine postremi, sed luctu & amore priores

C

Inse-

Insequimur, tristes humeris inducere amictus;
Si liceat, moresque sinant ususque, parati,
Cum reliquis, pheretroque Tuo pia basia mœsti
Figimus, heu! nostri postremum munus amoris.
Publica Musa dole! Carolique in funere nostri
Delicias, Elegos, plectrique sonora Calabri
Stamina, & heroes, siquis pudor, abjice versus!
Perge queri, Clio! calamosque & inania vatum
Instrumenta manu confringe, vel obtere planta!
Ac potius glandes rubicundaque collige corna,
Queis solere famem! Tardos impelle jugales,
Rustica, nec pudeat callosa sumere dextra
Tribulaque traheasque & iniquo pondere rastros!
Nam Carolo humanis nunc Principe rebus adempto,
Quis numeros nostros posthac, quis carmina posthac
Præter ab his silvis ventosa iteraverit echo?
Per Te nostra salus, Indulgentissime; per Te
Pierisin suus extat honos, & nobile visu
Gymnasia floret decus, & post fulmina belli
Annorum spaciis intervalloque duorum
Tantum alios inter ludos caput extulit altum,
Quantum inter frutices late Jovis eminent arbos.
Quid currum, Automedon? quid nostram, Tiphys, carinam
Deseris? O superis minime exaudita secundis
Vota precesque piæ? necopini sideris ictus
Præsidiumque decusque tulit,mersitque profundo,
In medioque die patrio Sol occidit orbe.
O ego si possem Te, Carole, denuo nostram
Protrahere in lucem, superasque reducere ad auras,
Et rediviva Tuæ Tibi fila retexere vitæ,
Parte meæ potiore. Sed hic contraria votis
Fata piis obstant, nutuque Tonantis agit mors
Imperium nulli prorsum superabile nato,
Et pariter summos æquo pede calcant & imos.
Obstat item Tua, magne pater, sacrosancta voluntas;
Nec Tu, si possis ad limina nostra reverti,
Eviçtis tumuli vinclis, pheretroque revulso,
In vitam rediisse voles. Vitæ ista cupido
Degeneres animos, nil magnæ laudis aventes,
Arguit!
Augusti jam te juvat ardua cœli
Regia, & humanæ rides incommoda vitæ:

Jam

Jam Tibi parta quies: jam sidera vasta terenti
Ultro sub pedibus nimbique austrique madentes,
Terroresque, metusque, & inexorabile lethum,
Fataque victa jacent, & spes labuntur inanes.

Salve, sancte Pater, nostri bone Conditor Oci,
Hesychiæque Tuæ! quamvis astra inter, & alti
Semideos erras non ultimus incola cœli:
Ne tamen o nostræ spernas præconia vocis,
Parva quidem, cineri sed non inhonora beato
Dum pia justa damus. Si quid modo carmina possunt,
Si quid habent vates; si quis, quo nostra movente
Pectora concipiunt socii commercia cœli,
Spiritus intus agit: Non Te cariosa vetustas,
Non Te tempus edax, vel inextinguibile lethum
Eripiet nobis. Fruitur jam numine pleno
Pars animæ potior; partem sub pectore grato
Nostra gerit pietas; pars tertia cessit honori,
Et famæ, quæ nil tumulos, nil funera curat.
*Aut nihil, aut minimum est, quod cassum lumine & aura
Ætheris, exiguo conclusit limite tellus.*

Ad Serenissimam
MATREM PATRIÆ,
Viduam Tristissimam,
Consolatio.



Uid Dominum assiduis defles, Veneranda, querelis,
Mater, amans patriæ, MAGDALI SANCTA, meæ?
Quid gemis haud aliter, quam raptò compare turtur!
Solvitur heu! tanto læsa dolore fides!
Magna quidem causa est, & quæ sine fine ministret,
Cur vena nunquam deficiente fleas?
Occidit exemplum memorabile principis, in quo,
Si propius nosset, perderet ira locum:
Qui meritis sortem, claris virtutibus annos
Vinceret, atque animi nobilitate genus.
Asperitate carens, positoque per omnia fastu,
Mitius in vasto quo nihil orbe fuit:
At simul increpuere ferociter arma tubæque,
Non minor Hectoridis ibat in arma ferox.

Höchstadii colles, & tu, Landavia, testes!
 Vulneraque adverso conspicienda loco!
 At posito ferro qualis fuit ille sagoque,
 Cum patrios regeret, more parentis, agros?
 Candidit Hefychiën; formavit legibus urbes:
 Sinceramque fidem constituitque themin.
 Et quota pars laudum modo dicta fuere suarum,
 Quos brevitatis nobis commemorare vetat?
 Talis hic & tantus, qualem quantumque Badensis
 Marchia jam sextâ vidit olympiade,
 Fertur in exequias. Princeps ad præmia velox,
 Jam cinis est parvus, qui modo quantus erat!
 Ac Tibi de tantis animi formæque reliquit
 Muneribus, vix hæc curta quod urna capit.
 Ecquis erit, lacrymis qui legem dicat, & una
 Præcipiat, ratio quo sit habenda modo?
 Non ego de duris, non sum de sæva professis;
 Te tamen in luctus longius ire vetem.
 Vidi ego torrentem, plenis qui cornibus ibat;
 Non erat hic homini, non ineundus equo.
 Sæpius huic fecit convicia fœda viator;
 Qui spissa properum nocte tenebat iter.
 Ipse quoque, ut vidi pluvia nimbisque tumentem,
 Unde fluat, dixi, vena perennis habet.
 Hæc ego tum dixi. Sed paucis factus in horis
 Alveus arenti pulverulentus humo est.
 Tu sine fine fleas? & quæ tibi meta doloris,
 Hæc eadem vitæ meta futura Tuæ est?
 Imperium sævæ non est superabile mortis:
 Hic Deus averfa præterit aure preces.
 Mancupio nulli vita est data: commodat usum,
 Qui dedit; & repetit, cum volet ipse, suum.
 Planctibus in vitam nunquam Tuus ille redibit,
 Ut semel felix contumulavit humus.
 Nec Tua tot curæ lamenta cadaver habebit,
 Nec feret extincto, nec Tibi luctus opem.
 Ille quidem Pyliis fuerat dignissimus annis;
 Et mecum hic omnes, qui fateantur, habes:
 Nec negat hoc Livor. Si fallant omnia, testis
 Ipse ratam Livor debet habere fidem.
 Quid tamen hoc refert? Ad funera nascimur omnes,
 Atque Dei jussu mortua turba sumus.



Si quid id est, cari venient ad funus amici,
 Et tumulo lacrimas, munus inane, ferent:
 Quoque quis est major, tanto ambitiosius ille
 Fletur, & in questus publica turba ruit.
 Exstruitur curvo tumulus sub fornice: in illo
 Conditur; huc secum, quas habet, abdit opes.
 Forfan & externi *Castrum lugubre Doloris*
 Erigitur magna mole, virumque manu.
 Ulterius nihil est, quo se efferat ardua Regum
 Gloria; sunt uno Dives inopsque loco.
 I nunc, & summis cum regibus urna paretur
 Funeris, in Te oculos & Tua damna refer!
 Crudeli flebant exstinctum funere *Daphnin*;
Daphnin, in Ausonio qui fuit orbe caput.
 Flebat Eques Romæ: flebat cum Plebe Senatus;
 Romulidæque patres, Romulidesque nurus.
 Illius & Poenos mortem ingemuiffe Leones
 Fama erat, & vulgi vox, reperitque fidem.
 Dicitur & sonipes lacrimas fudisse frequentes
 Illius, & luctu constituisse mori.
 Nec tamen hic rursus supera ad convexa redibat;
 Confertæ obstabant ex adamante fores.
 Prisca quid hic repeto; quanquam est in honore vetustas,
 Major & antiquis gloria rebus inest?
 Ipsa quoque è cælo CAROLI pia cœlitis umbra
 Hæc Tibi, si liceat, verba dedisse volet:
 Quid tumulum lacrimis cineresque movetis amaris,
 O mihi præcipua corda ligata fide!
 Tuque mei thalami consors, parsque altera nostri,
 Pro CAROLO luctus, MAGDALI, siste Tuos!
 Ipse diu vixi, nec bello aut pace pudendus;
 Nec nostris olim forte pigendus avis.
 Nunc mea me pietas cœli per inania vexit:
 Et, cujus nostro nomen in ore fuit,
 Cum nos humanis valedicere rebus & oris
 Arbiter & vitæ vellet itemque necis.
 Hic precium nostræ fidei est promissaque merces!
 O merces omni digna labore peti!
 O patria! o ingens divum domus! Aurea cœli
 Sidera, & augusti tecta superba laris!
 Ut vos solliciti post tot discrimina fati
 Aspiciamus, vestri pars quotacunque chori!

D

Ocia

Ocia quærenti studioso pectore tandem
 Contigerunt, votis sæpe petita meis.
 O quater & quoties non est numerare beatum,
 Æquoris illifas qui procul audit aquas!
 Quæque diu petiit, tutis navalibus abdit
 Impavide raptam per freta longa ratem!
 Me quoque felicem, qui per fera murmura ponti
 Inveni portum, quo mihi cursus erat,
 Cœlituum in medio. Tu bustum lædere luctu
 Parce! vel o! canos sollicitare Tuos!
 Utque meos serves, Tu Te servare labora!
 Hæc etenim cineri cura relicta meo est.
 Jamque Vale, & nostros, velut ante, tuere Nepotes,
 Qui duo ceperunt nunc onus esse Tuum.
 Fungere maternis vicibus, pia! fungere nostris!
 Et faciat somnos hæc Tibi cura breves!
 Cumque illis dederis Tua basia flentibus, adde
 Nostra quoque, & partes perfer, amata, duas.
 Causa perorata est. Faciat pater ille deorum,
 Cujus in arbitrio vitaque morsque jacet,
 Ut nobis detracta, Tuos vertantur ad annos
 Tempora. Sic magna parte superstes ero.

Humilimæ pietatis ergo

Jo. Casp. Malschius,

Confil. Eccl, Rector.



